

Ultimo dat eis indulgentiam, prout sibi placuerit. Qua data, manibus elevatis, et supra illos extensis, dicit solemnem Benedictionem :

PRECIBUS et méritis beátæ Mariæ semper virginis, beáti Michaélis Archángeli, beáti Joánnis Baptistæ, sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, et ómnium Sanctorum misereatur vestri omnipotens Deus, et dimissis ómnibus peccáteis vestris perducat vos ad vitam æternam. *R.* Amen.

INDULGENTIAM, absolutiónem, et remissiónem ómnium peccatorum vestrorum tribuat vobis omnipotens, et misericors Dóminus. *R.* Amen.

Ultimo benedicit eis, dicens :

Benedicat vos omnipotens Deus, Pa *✠* ter, et Fi *✠* lius, et Spiritus *✠* sanctus. *R.* Amen.

Quo facto, crines et barbam quam nutrierant, deponunt; et vestibus poenitentialibus dimissis, se cultioribus, et mundioribus induunt.



DE OFFICIO

IN FERIA QUINTA COENÆ DOMINI, CUM BENEDICITUR

OLEUM CATECHUMENORUM ET INFIRMORUM,

ET CONFICITUR CHRISMA.

Hac die singulis annis benedicitur Oleum Catechumenorum, et Infirmorum, et conficitur Chrisma. Mane itaque Sacrista, vel ille ad quem spectat, omnia quæ ad Oleorum benedictionem, et Chrismatis confectionem necessaria sunt, parat, videlicet: Tres ampullas oleo mundissimo plenas, quas in sacrario ponit, et diligenter custodit; unam ad Oleum Infirmorum, aliam ad Oleum Catechumenorum, tertiam quæ major sit, ad Chrisma: Et hæc tertia cooperiri debet de panno sericeo albo; prima autem et secunda de sericeo panno alterius coloris sint coopertæ: Duas mappulas mundas, sive vela, pro Diaconis, qui ampullas oleorum pro Chrismate, et oleo Catechumenorum de sacristia ad Chorum portare debent; et ultra hæc sedem, seu faldistorium, et credentiam consuetam. Paratur etiam alia sedes in presbyterio ab opposito altaris, juxta gradus circa finem presbyterii; et ante ipsam sedem versus altare paratur mensa mappis ornata, quæ sit juxta sedem, inter ipsam, et altare. Juxta dictam sedem hinc, et inde, magis tamen ad finem presbyterii, posita sint scamna pro duodecim Sacerdotibus, ita ut ibidem sedentes facies vertant ad altare.

Deinde hora competenti Pontifex venit ad Ecclesiam, ubi parat se ad Missam omnibus Pontificalibus ornamentis pretiosis albi coloris. Parant se etiam ministri Pontificis, et ultra illos duodecim Presbyteri, septem Diaconi, septem Subdiaconi, Acolythi, et alii necessarii,

omnes vestibus albi coloris. Ordini suo congruentibus. Quibus omnibus paratis, procedunt ad altare processionaliter, hoc modo :


In primis procedit thuriferarius, quem sequuntur duo ceroferarii, post hos septem Subdiaconi, bini et bini, et in tertio loco tres simul vadunt; tum septem Diaconi, etiam bini et bini, et in tertio loco tres; post hos duodecim Presbyteri, bini et bini, quos sequitur Subdiaconus librum Evangeliorum portans ante pectus, cum manipulo in eo reposito; deinde Diaconus, et a dextris ejus Capellanus Assistens, quos demum Pontifex sequitur incedens medius inter duos digniores Canonicos Ecclesiæ, aut in dignitate constitutos, si Pontifex sit in Ecclesia sua, alioquin ibit medius inter Diaconum, et Assistentem. Et si Pontifex sit Archiepiscopus, vel Patriarcha, et in Ecclesia sua, portatur etiam in hujusmodi processione crux per unum ex ministris, ad hoc ordinatum, qui medius inter ceroferarios incedit.



Duodecim Presbyteri suo ordine juxta sedilia, in fine presbyterii posita, hinc et inde stabunt, vel sedebunt, aut genuflectent, prout tempus postulabit, facies semper ad altare vertentes; post eos stabunt septem Diaconi, et post Diaconos septem Subdiaconi in gradibus presbyterii. Pontifex vero, postquam ante altare pervenerit, facit Confessionem; incipitur Introitus, et proceditur in Missa more consueto, usque ad illum locum Canonis, ubi dicitur :

Per quem hæc omnia, Dómine, semper bona creas, exclusive.

Priusquam ergo Pontifex verba ipsa dicat, facta reverentia Sacramento in altari consecrato, retrahit se ad partem Epistolæ altaris, ubi super alium Calicem vacuum abluit digitos, et ad purificatorium extergit, et ablutio usque post communionem Pontificis reservatur. Tum facta iterum Sacramento reverentia, descendit primum gradum altaris, et ibidem accepta mitra, vadit ad dictam sedem sibi paratam in presbyterio, ab opposito altaris; et sedet super ipsam, versa facie ad altare, dictam mensam ante se habens, circumstantibus ministris, Sacerdotibus, et aliis paratis prædictis, in suis locis manentibus. Tunc Archidiaconus stans apud Pontificem dicit alta voce in tono Lectionis :



O-le-um in-fir-mo-rum.

Et mox unus Subdiaconus ex septem paratis prædictis cum duobus Acolythis, hinc et inde associatus, vadit ad sacristiam, ubi accipiens ampullam olei, quod pro infirmis consecrari debet, coopertam, ut invenit, portet eam sinistro brachio circumdatam ante Pontificem, ubi eam tradit in manibus Archidiaconi, plane dicens :

Oleum infirmorum.

Archidiaconus præsentat illam Pontifici ad benedicendum; idem dicens, colloans eam coram eo supra mensam supradictam.



Pontifex surgens cum mitra exorcizat, et benedicit illud voce demissa, ita tamen quod a circumstantibus Sacerdotibus audiri possit, absolute dicens :

Exorcizo te, immundissime spiritus, omnisque incursio sathanæ, et omne phantasma. In nomine Pa \times tris, et Fi \times lii, et Spiritus \times sancti; ut recedas ab hoc oleo, ut possit effici unctio spiritalis ad corroborandum templum Dei vivi; ut in eo possit Spiritus sanctus habitare, per nomen Dei Patris omnipotentis, et per nomen dilectissimi Filii ejus Domini nostri Jesu Christi, qui venturus est judicare vivos et mortuos, et sæculum per ignem. *R.* Amen.

Deinde deposita mitra, benedicit ipsum Oleum, dicens eadem voce :

Y. Dominus vobiscum.

R. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

EMITTE, quæsumus Domine, Spiritum sanctum tuum paracletum de cœlis in hanc pinguëdinem olivæ, quam de viridi ligno producere dignatus es, ad refectiõnem mentis, et corpõris; ut tua sancta bene \times dictiõne, sit omni hoc unguento cœlestis medicinæ peruncto tutamen mentis et corpõris, ad evacuandos omnes dolores, omnes infirmitates, omnemque ægritudinem mentis et corpõris, unde unxisti Sacerdotes, Reges, Prophetas et Martyres, sit Chrisma tuum perfectum, Domine, nobis a te benedictum, permanens in visceribus nostris. In nomine Domini nostri Jesu Christi.

His expletis, Oleum ipsum eo modo, quo apportatum fuit, ad sacrarium reportatur, et diligentissime conservatur. Tunc Pontifex, reassumpta mitra, sedet, et lavat manus; tum surgit, et cum mitra, et cum ministris suis (cæteris Sacerdotibus, et aliis paratis in locis suis manentibus) accedit usque ad gradum altaris, ubi, deposita mitra, facit reverentiam Sacramento; tum ascendit ad altare, et incipiens ubi dimiserat; videlicet, Per quem hæc omnia, etc. procedit in Missa usque ad communionem Corporis, et Sanguinis inclusive, quam Pontifex ipse solus sumit. Quo facto, Diaconus ponit Hostiam consecratam pro crastina die reservandam in Calicem, seu vasculum ad hoc paratum, et reverenter collocat ipsam super medium altaris. Deinde Pontifex communicat Diaconum et Subdiaconum, ac alios de Clero, et postquam se purificaverit, ac etiam primam digitorum ablutionem ex alio Calice sumpserit, facta reverentia Sacramento in altari posito, in secundo gradu altaris

mitram accipit, et redit ad prædictam sedem cum ministris suis, et aliis Assistentibus, eo ordine quo præmissum est, et ibi cum mitra sedet. Tunc Archidiaconus stans apud Pontificem dicit alta voce in tono Lectionis :



O-le-um ad sanctum Chri-sma.

Et mox eadem voce, in tono subjungit :



O-le-um Ca-te-chume-no-rum.

Quo dicto, oblato Pontifici thuribulo, Pontifex imponit incensum, et benedicit more solito. Tum duodecim Presbyteri, septem Diaconi, et septem Subdiaconi parati prædicti, et alii ministri, quot necessarii fuerint, eo ordine quo venerunt, pergunt ad sacrarium ad deferendum cum omni decore et reverentia Oleum Chri-smale, et Oleum Catechumenorum, ministris tamen Pontificis cum eo remanentibus. Incedunt autem redeuntes ad Chorum cum ampullis, hoc ordine : Primo thuriferarius cum thuribulo fumigante, quem sequitur Subdiaconus crucem deferens, medius inter duos Acolythos cum cereis ardentibus; tum duo Cantores cantantes Versus : O Redemptor, ut infra habentur; quos sequuntur, bini et bini, Subdiaconi et Diaconi; deinde unus Subdiaconus portans vasculum cum balsamo, tum duo Diaconi ampullas olei ad sanctum Chrisma et pro oleo Catechumenorum portantes, qui habent mappulas mundas, sive vela ad collum, quorum extremitates ante pectus dependent, tenentes ipsas ampullas sinistris brachiis circumdatas, et extremitatibus mappularum, quæ


a dextris dependent, involutas, et coopertas; ita tamen, ut a medio supra videri possint. Diaconus autem, qui Oleum ad sanctum Chrisma portat, a dextris vadit; hos sequuntur duodecim Sacerdotes, Diaconi, et Subdiaconi prædicti, bini et bini. Quibus sic a sacristia versus Pontificem procedentibus, duo Cantores prædicti cantant Versus sequentes :



2 Toni.



O Re-dem-ptor, su-me car-men te-met con-




ci-nen-ti-um.

Et Chorus idem replicat. Deinde dicti duo Cantores
prosequuntur sequentes versus :



Au-di ju-dex mor-tu-o-rum, u-na spes mor-ta-




li-um, au-di vo-ces pro-fe-ren-tum do-num



pa - cis præ-vi-um.

Chorus repetit versum :




O Re-dem-ptor.

Deinde dicti duo Cantores prosequuntur versum :



Ar-bor fœ-ta al-ma lu - ce hoc sa-crandum pro-




tu-lit : fert hoc pro-na præ-sens tur-ba Sal-va-



to - ri sæ-cu-li.

Chorus repetit versum :



O Re-dem-ptor.

Tum illi duo Cantores prosequuntur versum :



Stans ad a-ram im-mo supplex in-fu-la-tus Pon-



ti-fex, de-bi-tum per-sol-vit o-mne, con-se-



era - to Chri-sma-te.

Chorus repetit versum :




O Re-dem-ptor.

Deinde illi duo Cantores prosequuntur versum :



Con-se-cra-re tu di-gna-re, Rex per-en-nis pa-




tri-æ, hoc o-li - vum, si-gnum vi-vum, ju - ra



con - tra dæ-mo-num.

Chorus repetit versum :



O Re-dem-ptor.

Eis igitur ordine præmisso in Presbyterium Ecclesie cantando versus præmissos pervenientibus, Crux cum candelabris et incenso situatur prope altare, juxta cornu Epistolæ; Archidiaconus, Diaconus, et Subdiaconus, ministrantes, sint circa Pontificem, hinc et inde. Sacerdotes vero duodecim parati juxta eos duo cornua faciunt, sex hinc, et sex illinc, vertentes faciem ad altare, a lateribus assistentes Pontifici, tamquam ejus testes, et ministerii sacri Chrismatis cooperatores. Diaconi vero post tergum Pontificis, et post eos, Subdiaconi parati stant, tamquam ministri, et inspectores. Interim Diaconi ampullas olei Chrismalis, et olei Catechumenorum portantes, et Subdiaconus cum balsamo subsistunt, quousque omnes prædicti in suis locis fuerint ordinati. Omnibus itaque dispositis, Diaconus ampullam olei Chrismalis ferens venit ante Pontificem, et Archidiaconus illam involutam cum mappula, quam Diaconus ipse circa collum portavit, de manu ejus accipiens, eam sic involutam ostendit Pontifici sedenti, et illam super mensam ante Episcopum positam collocat

diligenter, alio Diacono ampullam aliam assidue inter brachia tenente. Tunc Subdiaconus vasculum cum balsamo portans, illud tradit Archidiacono, qui balsamum Pontifici similiter ostendens ipsum supra mensam collocat. Tum Pontifex, deposita mitra, surgit, et versus ad altare, habens ante se super mensam ampullam olei Chrismalis, et balsamum, ante omnia benedicit ipsum balsamum, dicens :

Ÿ. Dóminus vobiscum.

Ŕ. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

DEUS, mysteriórum cœlestium et virtutum ómnium præparátor, nostras, quæsumus, preces exáudi, hanc odoriferam sicci córticis lácrymam (quæ felicis virgæ profluendo sudórem, sacerdotáli nos opimat unguénto) acceptábilem tuis præsta mystériis, et concéssa benedictióne sancti ✠ fica. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per ómnia sæcula sæculórum. Ŕ. Amen.

OREMUS.

CREATURARUM ómnium, Dómine, procreátor, qui per Moysen fámulum tuum permístis herbis arómatum fieri præcepísti sanctificatióne unguénti; cleméntiam tuam suppliciter depóscimus, ut huic unguénto, quod radix produxit stírpea, spirituálem grátiam largiéndò, plenitúdinem sancti ✠ ficatiónis infúndas. Sit nobis, Dómine, fidei hilaritáte condítum; sit sacerdotális unguénti Chrisma perpétuum; sit ad cœlestis vexilli impressiόnem digníssimum; ut quicúmque Baptismate sacro renáti isto fuerint liquóre perúncti, córporum atque animárum benedictiόnem pleníssimam consequántur, et beátæ fidei colláto múnere perénniter ampliéntur.

Per Dóminum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spíritus sancti Deus, per ómnia sæcula sæculórum. *R.* Amen.

Deinde accepta mitra, stans adhuc Pontifex miscet super Patenam, vel in aliquo parvo vasculo balsamum cum modico olei de ampulla Chrismali sumpti, dicens :

OREMUS Dóminum Deum nostrum omnipoténtem, qui incomprehensibilem unigéniti Filii sui sibique coæterni divinitatem mirábili dispositione veræ humanitati inseparabiliter conjúnxit, et cooperante grátia Spíritus sancti, óleo exultationis præ participibus suis linxit, ut homo, fraude diaboli pèrditus, gémina et singulári constans matéria, perénni redderetur, de qua exciderat, hereditati; quatenus hos ex diversis creaturárum specièbus liquóres creatos sanctæ Trinitatis perfectione bene ✠ dicat, et benedicéndo sancti ✠ ficet, concedátque, ut simul permísti unum fiant; et quicumque extérius inde perúnctus fuerit, ita intérius liniatur, quod omnibus sórdibus corporális matèriæ carens, se participem regni cœlestis éffici gratulétur. Per eúndem Dóminum nostrum Jesum Christum Filium suum, qui cum eo vivit et regnat in unitate ejúsdem Spíritus sancti Deus, per ómnia sæcula sæculórum. *R.* Amen.

Quo facto, sedet Pontifex, retenta mitra, et halat plane tertio, in modum Crucis, super os ampullæ Chrismalis involutæ ante se super mensam stantis. Deinde duodecim Sacerdotes parati, qui juxta eum sunt, ordinatim facientes reverentiam Sacramento in altari posito, et Pontifici, ad mensam prædictam accedunt, et stantes ante eam singuli successive eodem modo, ut Pontifex fecerat, in modum Crucis super os ampullæ prædictæ halant. Tum reverentiam, ut supra, facientes, ad loca sua revertuntur. Quo facto, surgit Pontifex, et stans, cum mitra, legendo dicit exorcismum Chrismalem, absolute dicens :

BENEDICTIO CHRISMATIS.

EXORCIZO te, creatúra olei, per Deum Patrem omnipoténtem, qui fecit cœlum et terram, mare, et ómnia quæ in eis sunt, ut omnis virtus adversárii, omnis exercitus diaboli, omnisque incursio, et omne phantásma sátanæ eradicétur, et effugétur a te; ut fias ómnibus qui ex te ungenti sunt, in adoptionem filiórum, per Spíritum sanctum. In nómine Dei Pa ✠ tris omnipoténtis, et Jesu ✠ Christi Filii ejus Dómini nostri, qui cum eo vivit et regnat Deus, in unitate ejúsdem Spíritus ✠ sancti.



Deinde, deposita mitra, extensis manibus ante pectus, dicit Præfationem.



Per o-mni-a sæ-cu-la sæ-cu-lo-rum. *R.* Amen.